NICOLAI BARPTHO-
LEMAEI LOCHIENSIS
ENNOEAE.



PARISIIS
Ex officina Simonis Colinaei
1 5 3 1

NICOLAI BARPTHOLEMAEI ENNOEA DE SEPTEM VERBIS DOMINI IN CRVCE.

E Christe dicunt septies
t Alta loquutum de cruce,
Quæ iam fatebor non mihi
Liquere, verùm si benè
Audita nunc recenseo.
Permulta fecisti, simul
Et protulisti incognita
Arcana, & excedentia
Cuiuslibet mentem viri,
Quæ cognituros postmodum
Nos sæpius prædixeris.
Age ergo, te iam deprecor,
Mihi roganti dic palàm:
Quid est quòd anxiè sitim
Expresseris tuam, interim
De tot tacens doloribus?
Dic queso Iesu, quid taces?
Quid deprecantem negligis?
Heus heus Iesu, aurem arrige,
Imò os, sed audis omnia
Et respicis. lubens tamen
Mouere labra non soles.
Quod si ipse nolis prodere,
Saltem volentem me heic ama,

Et mentis inſpira meæ,
Impléq; veris intima.
Quòd ſic ſitires, vt reor,
Qui ſis aquæ fons viuidæ,
Non tam labores, vulnera,
Effuſio ampla ſanguinis
Fecere, quàm mentem vt tuam
Oſtenderes apertius,
Quo nos amore amplecteris.
Nanq; vt cibus quondam tuus,
Patris voluntas erat, ita
Nunc filiorum, aut verius
Fratrum ſalus, tua eſt ſitis.
Quid nunc, quid impij tibi
Iſtud negamus poculum?
Quid felle, tot reatuum
Tortoribus quibuſlibet
Immitiores, indies
Tuæ huic propinamus ſiti?
Sed hoc magis mirabile,
Quòd tot latroni præmia
Immerito, & vt puto, antea
Incognito, tam citò, ad ſenem
Flexus precem, ſpoponderis.
Mecum hoc die, dixiſti, eris
Illa in quiete, quam ſatis
Nullus mereri totius
Vitæ ſuæ curſu poteſt.

At in latronem hac gratia
Satis docemur, ac super,
Quòd neminem diffidere
Tuæ velis clementiæ,
Quocunque sese tempore
Fidei tuæ commiserit,
Vbique fassus noxias
Veniam poposcerit, tuam
Opem repente sentiet.
Quòd destitutum te à patre
Sis questus, id certè haud fuit,
Quòd non pater semper tibi
Affuerit, at quòd cerneres
Mortem tuam, vt cupiueras
Non profuturam singulis,
Necnon futuros nosceres,
Quos non minus, quàm te facis,
Qui gratiæ immunes forent,
Communicatam quam omnibus
Tam volueras, quàm nil magis.
Completa sunt, ais, omnia,
Quæ de futuro Messia
Tum senserant, tum dixerant
Pleni prophetæ spiritu.
Datum est in escam fel, sitis
Potata aceto. te canes
Circundedere, principes,
Terræque reges, Pontius

Nimirum, & Herodes ferus
In te astiterunt, vt pecus
Ad victimam deductus es.
Quid plura? pulsæ sunt tuo
Omnes tenebræ lumine:
Imago cessit corpori,
Figura cessit & typo.
Quòd verò Ioanni vnicè
Commiseris matrem tuam,
Hominem fuisse te indicat,
Verùm, pijs affectibus,
Idq; sine culpa, obnoxium.
Mirabilem ò clementiam,
Remitte, postulas, pater,
Illis, remitte noxiam,
Quid moliantur nesciunt,
Quid hoc Iesu, nesciunt?
An innocentem nesciunt
Te, & persequuntur impij?
Qui tot palàm miracula
Longo edidisti tempore.
An nesciunt quæ perpetrant?
Certè sciunt, at tu negas
Hos scire, cum vlcisci negas.
Exemplo Iesu sic tuo
Nos erudis, nos instruis:
Vt in ferenda iniuria
Tuas legamus orbitas,

Malúmq; mutemus bono.
Quòd in manus patris,
Nil istius rei indigum,
Mandare spiritum velis,
Nostrum magis negotium
Agere videris, quàm tuum:
Quò nos tuis vestigijs
Inbereamus, dum adpetit
Præsentis æui terminus,
Vt exeuntem hinc spiritum
Id non secus, quàm debitum
Viuentis in manus dei
Reddamus: ac huius magis
Clementiæ, quàm proprijs
Fidamus actionibus.

ENNOEA SVMPTO ARGVmento ex nobili illo Esaiæ cantico, Quis est iste, qui venit de Edom? Colloquuntur Nico. Christus.

NICOLAVS.

Vid vestis sibi vult noua
q Quonis murice rubrior?
Réxne, an regia origine
Cretus? quid redimis caput
Spinis, pro diademate?

Ornatus facies noua,
Obe(vt victor olympicus,
Phœnicem) manibus geris
Aspram tristis arundinem.
Vnde hæc surgit adorea?
Hei qualis facies? nihil,
Statum corporis eximo, est,
Quod nunc præ se hominem ferat.
Vix oris nota cernitur,
Discrimen nec habent genæ,
Nares, frons, oculi, omnia
Nimirum rubor occupat.
An tu molochinarius?
An musto color è nouo
Qui prælo est operantium?
Heus iam non loqueris lapis?

CHRISTVS.

Recte me lapidem vocas.
Sed factum in caput anguli
Hunc me credito, gratia
Qui cunctorum hominum nimis
Accepti immemorum quidem
Mortalem indui, & exui.
Queis nondum fuerat satis,
Quòd me alte crucifixerint
Multis verberibus prius
Ornatum, nisi me quoque
(Ipsa quod cruce durius)

Cum iniustis reputauerint.
Quòd me tam videas rubrum,
Non est muricis hic color,
Infectus sed enim meus,
Nec conchylibus vtimur.
Nescis quot fluidus malas
Vibices cruor obtegat,
Quas nunc cernere non potes.
Hem, solus graue torcular
Calcaui, neque quis mihi
Sudanti adposuit manum.
Vni tantum operæ fuit.

NICOLAVS.

Ne Christe sæui, deprecor,
Quòd te illico non nouerim,
Quem nosse sanè oportuit
Hoc maxime cultu, ac nota.
Nec suspicabar, quòd tui, vt
Sic viseres, esses memor
Serui, imò & hostis impij,
Qui te frequenter læserim.
Nec tot putaram vulnera,
Permulta credebam licet.
Suspecta nec talis fuit
In te tuorum immanitas.
Hei Christe quot plagæ? locus
Nullus cuti relinquitur.
O quàm profunda vulnera,

Quibus manus, quibus pedes,
Quibus latus (cor deficit
Hoc intuentem) haustum fuit.
Dico Iesu dic rogo,
Tibine tam in plagis places?
Qui perpeti has delegeris,
Vitare quas potens eras.
An te necesse pendere
Pœnas fuit? mortalium
Nunquid remitti noxia
Nisi hoc cruore debuit?
Num culpa vel gratis dari?
Vel altero piaculo
Apud patrem quiuit lui,
Quàm ex innocentis tergore?
Quid? imò filij vnici.

CHRISTVS.

Sperare tale consequi
Intelligendo desine,
Causásque rerum sciscere.
Te fata progredi vetant.
Causam nec hic quæsineris:
Totum, id voluntatis fuit.
Quicquid sumus nati antea,
Et quicquid inde viximus,
Et omne quod passi sumus.
Istúdque cum mortalibus
(Qui forte nos neglexerint)

Expoſtulabimus magis
Quo maior eſt clementia,
Quo maior eſt benignitas
Nullis coacta legibus.
Ac vt dolentis prouida
Nutrix puelluli prius
Delibat ore pharmacum,
Sibi nihil quidem vtile,
Quo bimus vti non queat
Infirmitate pectoris,
Quod mox reſugat mitius
Nutricis à ſuæ vbere,
Ac conualeſcat deniq;.
Sic impotens quidem genus
Mortale fœdo congruam
Suo medellam vulneri
Haurire, abuti me ſino:
Et quod ſat ex ſe ſumere
Nequit, bibo ipſe pharmacum,
Quò reſtitutum priſtinæ
Viuat ſaluti, cui ſatis
Eſt tanta paſſo, proſperam
Si non medellam reſpuit.
Quid reſpuit? ſi reſpicit,
Si cogitat, ſi condolet.

Quibus manus, quibus pedes,
Quibus latus (cor deficit
Hoc intuentem) haustum fuit.
Dico Iesu dic rogo,
Tibine tam in plagis places?
Qui perpeti has delegeris,
Vitare quas potens eras.
An te necesse pendere
Pœnas fuit? mortalium
Nunquid remitti noxia
Nisi hoc cruore debuit?
Num culpa vel gratis dari?
Vel altero piaculo
Apud patrem quiuit lui,
Quàm ex innocentis tergore?
Quid? imò filij vnici.

CHRISTVS.

Sperare tale consequi
Intelligendo desine,
Causásque rerum sciscere.
Te fata progredi vetant.
Causam nec hic quæsiueris:
Totum, id voluntatis fuit.
Quicquid sumus nati antea,
Et quicquid inde viximus,
Et omne quod passi sumus.
Istúdque cum mortalibus
(Qui forte nos neglexerint)

Expostulabimus magis
Quo maior est clementia,
Quo maior est benignitas
Nullis coacta legibus.
Ac vt dolentis prouida
Nutrix puelluli prius
Delibat ore pharmacum,
Sibi nihil quidem vtile,
Quo bimus vti non queat
Infirmitate pectoris,
Quod mox resugat mitius
Nutricis à suæ vbere,
Ac conualescat deniq;.
Sic impotens quidem genus
Mortale fœdo congruam
Suo medellam vulneri
Haurire,abuti me sino:
Et quod sat ex se sumere
Nequit,bibo ipse pharmacum,
Quò restitutum pristinæ
Viuat saluti,cui satis
Est tanta passo,prosperam
Si non medellam respuit.
Quid respuit?si respicit,
Si cogitat,si condolet.

AD SOSPITALEM
CHRISTVM Ennœa.

H Christe fari nescio,
a Dissolue linguæ vinculum,
Quod præstitisse crederis
Olim seni Zachariæ.
Peccata fauces obsident,
Vocis meatus opprimit
Osor vetus mortalium,
Et excreaturo scelus,
Culpámq; fassuro meam
Manus ob os (quasi obicem)
Prostruxit, ac instar lupi
Ferocientis in gregem.
Si glutiendam mordicus
Pastore prendi nescio
Fortasse ouem, frangit gulam
Sonum impotentis edere.
Sic ingemiscendi is mihi
Et confitendi præripit
Lapsa facultatem vuula.
Vt hæreat vox faucibus
Clauso retenta spiritu,
Ne conquerar nec te (deus)
Meo innocem periculo,
Ne lingua noxas expiet,
Quas diluí hac concesseris,

Procraſtinandúmq; admonet,
Nouiſq; ſemper decipit
Non ſat renitentem artibus.
Ah Chriſte, viſus cæcutit,
Caligat in te pupula,
Nec conſpicari te queo,
Quando & tua hæc benignitas
(Qua te deus facis virum)
Mentem ſubit, dum & priſtini
Remordet œſtrum temporis,
Pungitq; mentem carnifex
Vis conſcientiæ intima,
Quòd ſeruiendo negligens:
Quòd demerendo non memor,
Quòd condolendo, non pius,
Quòd in gemendo ſaxeus,
Fuiſſe cernar hactenus,
Deſcende quæſo de cruce,
Et huc (Ieſu) labere.
Quo te alloquamur proxime.
Nec longa tam via, vt fuit
Olim dum olympum linqueres,
Venturus in conſortium
Mortalium vitæ parens.
Præſta oſculari mi pedes,
Queis noſtra perlata eſt ſalus,
Præſta oſculari iſtud genu,
Quod alteri ſurſum eminet.

Nec iam ſuprema poſtulo
Indignus omnino infimis,
Nimis beatus, ſi tuo
Dignus videbor lumine.
Si te mei cura vrgeat,
Si non repellar vt nothus.
Si lachrymis placabilis
Es, ò Ieſu, in lachrymas
Totus repente diffluam:
Sit fons caput, ſint brachia
Riui, ſit & pectus mare,
Sint crura torrentes, lacus
Pedes, quibus meme abluam.
Si non placent fletus tibi
Et has querelas deſpicis,
Siccíſq; adiri vis genis:
En, ipſe quouis ſiccior
Tunc ſum futurus pumice.
Si ſupplices magis preces
Exaudias, tum transferar,
Echóque ero vocalior,
In ora totus fiſſilis.
Quocunq; placandus modo es,
Pacem per aras poſtulo,
Pacémq; tecum ſancio;
Quòd ſi pati vltra iuſſeris,
Nec iam meo ſatur malo es,
Tuam in clientelam aſſerar,

Et quicquid hinc ferri voles,
Ferendum erit, sed dedito,
Nihilq; post modum, nisi
Tuus, meo qui munere
Me fecerim tuum, feram.
Nec me molestum despice,
Qui non molestam fœminam
Pati repulsam sineris.
Quæ te prece importunior
Traxit suam in sententiam,
Noxas vt omnes tolleres,
Reámq; vitæ redderes.
Terrere me posset tua
Iuris rati seueritas:
Sed excitat clementia
Censura cui cedit tua,
In te licet peccauerim,
Quantum remissurum alteri
Non me putem: veruntamen
Abs te salutem præstolor.
Maiórq; gratia est tua,
Quàm possit esse iniquitas.
An me creasti vt perderes,
Quem tot sciebas crimina,
Et tanta facturum mala?
Non, sed palàm vt notesceret
Summam æquitatem maximæ
Clementiæ locum dare.

Siniſne tecum iure agi?
Et te teneri legibus?
Quicunque cauſam dat mali,
Malum dediſſe dicitur.
Ecquid creaſti fœminas
Quarum vetas conſortium
Citra duorum copulam,
Et matrimonij iugum?
In belluas benignior
Quas lege nulla aſtrinxeris.
Quid copiam produxeris,
Cui tam placent ieiunia?
Quid ipſa vina, quid dapes?
Terræque fructus pectitæ
Si nos fruiſci non ſinis?
Iam gratia hæc, non gratia eſt,
Donúmque non donum, at magis
Damnum (loqui ſi liberum eſt)
Pœnæque compar Tantali.
Si quam venuſtas maxime
Vel arte, vel prudentia:
Cur iure non ſuperbiat:
Non geſtiat? non ſe efferat?
Somnus tibi placet breuis,
Noctes facis longiſſimas,
Damnáſque negligentiam
Qui tot paraſti deſidi,
Quibus foueret otium?

Quò Christe me rapit furor?
Quò me trahit dementia?
Soluta frena comprime,
Ad signa palantem reduc,
Facessat hinc iniuria.
Tam sunt leues argutiæ,
Quàm iam refelli non egent.
Sic copiam mortalibus
Præstas, vt inde se nihil
Dicant omisisse inopia.
Sic demum egestatem paras,
Ne mentiantur indigi
Sibi obfuisse copiam.
Sic proditorem ærario
Tuum tuo præfeceras.
Sic pessimo illi diuiti
Congesseras tantas opes,
Ne quid volenti deforet
Sursum, deorsum, vertere.
Sed ò IESV rex pie
Deus pie, & iudex pie.
Da, quàm diu licet frui
Auris, vt insit corpori
Mens sana sano, da otium
Cum dignitate, da sine
Periculo negotium.
Da pœnitentiæ locum,
Da lachrymarum copiam

Quibus scelestos abluam
Mentis reatus noxiæ,
Dum vita morti cesserit
Et fila Parcæ ruperint
Huc huc, IESV, me trahas,
Quò pœnitentem serius
Tecum latronem vexeris,
Nephante vbi illius tuæ
Diuinitatis explear,
Vbi & perennis gratia
Quæ me creauit, recreet.

ENNOEA IN CHRISTI natalem.

Q Vid otiosi stertitis?
Quid desidetis frigidi?
Cur non puellum visitis.
Et bellulum, & venustulum?
O vultus inuisus prius
Nouo absolutus schemate,
Non ista mortalem refert
Figura patrem, quàm ruber,
Quàm candidus, non eligi
In mille quiuit pulchrior.
Cui sunt columbæ lumina,
Coruo capillus nigrior,
Pulchræque depictæ genæ,

Et lacteum collum, manus
Tornatiles, eburneus
Venter, columna marmoris
Crus firmius, pes aureus.
O forma filio dei,
Vel digna nulla, pulchrius
Charagma fingi non erat,
Si forma quem dignum facit
Regno, quis ante hunc imperet,
Quis iure non huic cesserit?
Si pulchritudo, vel feros
(Quod Mosis exemplo liquet)
Inuitat hostes victui
Ut, quod necessum est, præbeant,
Quid fiet huic digne satis
Mortalium pulcherrimo?
Quid otiosi stertitis?
Quid desidetis frigidi?
Cur non puellum visitis?
Et bellulum & venustulum?
Hunc nos prius, questi sumus
Excelsiorem, quàm alloqui,
Quàm conuenire cominus
Nobis daretur. at polo
Descendit ex alto. & iacet
Paruo supinus in thoro.
Et qui putabatur nimis
Magnus, videtur quolibet

Pumilione nunc minor,
Videtur, inquam, lucide
Tot seculis absconditus,
Tot expetitus vatibus,
Nunc alligatur: nunc manu
Palpatur, auditur modo,
Nulli prius sat cognitus,
Vero nec auditus sono,
Nulláq; tactus dextera,
Nondúmq; visus cuipiam:
Ni forte paucos obijcis,
(Queis sic videndum se obtulit,
Vt terga solum proderet).
Nunc se videndum singulis
In parte quauis porrigit.
Hic fortis olim creditus
Iustúsq;, sed potentiæ
Tam detrahit suæ, vt pius
Quàm iustus esse, & dicier
Malit: caducus, quàm ferox,
Sic se exinaniuit, modo
Satis resisti illi potest.
Quis vsq; cunctis corporis
Mentisq; fractus viribus
Quem vagiens fuget puer?
Nunc disputando acerrimus:
Qui mille gryppos vnica
Responsione claudere

Sat nouerat, nunc conticet.
Elinguis, & fari nequit.
Sermonis impos totius,
Argutiásq; negligit.
Quid otiosi stertitis?
Quid desidetis frigidi?
Cur non puellum visitis
Et bellulum & venustulum?
Vos antè territi minis
Hunc credidistis impium,
Sæuum, minus placabilem.
Hoc nunc nihil mansuetius,
Imbelle nil magis, puer
Quocunq; flecti cereus
Paruóq; cessat munere
Placatus, omnium quidem
Oblitus antè criminum.
Solum hunc subit clementiæ
Cui tota cessit lex, rigor,
Ius, syngrapham libere
Nostram suæ affiget cruci.
Iam clamat agnus pendulus
Hinc rugientes bestiæ,
Escámq; quærentes procul
O este, iam sol nascitur,
Secedite ad cubilia.
Cur non puellum visitis?
Quid otiosi stertitis?

Quid desidetis frigidi?
Cur non citati curritis
Moratiores coclea?
Cur non puellum visitis?
Nudus iacet, vos seduli
Afferte nudo coccinum,
Afferte quoduis linteum
Sed impigri. nix decidit,
Venti irruunt, hyems furit,
Nox instat, & distat domus,
Consueta abest vicinia.
Sed ò ter & quater scelus.
Sed ò ter & quater nefas.
Num turpe? num inquam dedecus
Immane? cor mansuetius
Feris inesse quàm viris?
Hem bos, hem asellus, quo queunt,
Huic obsequuntur munere
Huic blandiuntur cernui,
Suo fouent anhelitu,
Cur non citati curritis?
Permissus an sic frigori
Non vlli erit curæ puer?
Nullum mouebit tam potens,
Et tam fidelis debitor?
Nullum piæ necessitas
Vrgebit hæc puerperæ?
Quid otiosi stertitis?

Quid desidetis frigidi?
Cur non puellum visitis?
Sed cur IESV partui
Non præpararas purpuram?
Non struxeras triclinium?
Non obstetrix accersita?
Quid non cubile fortia
Cingunt virorum robora
Ob noctis incertos metus?
Cur non parasti ferculum?
Quid congiarij tuus
Natalis expers cernitur?
Tibi palatio casa
Prefertur? an tu marmori,
An parcis auro? cui Pharos,
Cui seruit omnis Thracia.
Num tale regem dedecet?
Quæ causa Christe te monet?
Qui cuncta abunde porrigis
Cunctis, tibi hoc soli inuides?
Pulchrum videri te putas
Qualem genitrix edidit?
Pudenda cuncti contegunt,
Cur solus illa non tegis?
Sed nil pudendum in te, nihil
Te criminis tradux manet,
Qui nos pudere sic facit.
Hoc hoc videte, qui modo

Vos esse natos creduli
Putatis ad superbiam.
Qui nunc & auleis domos
Vestitis,& bysso lacus,
Qui purpuram, qui sericum
Paratis escam vermibus,
Dum vos nec vti vestibus
Vultis,nec vtendas datis.
Hinc pauperes famelici,
Multóq; adusti frigore
Queruntur,& non quæritis
Vox vnde tristis auolet.
O corda plus quàm ferrea,
O tota aberrantes via.
Vos pauperem, vos indigum,
(Hoc me monente discite)
Sperate Christum iudicem.
Quid otiosi stertitis?
Quid desidetis frigidi?
Cur non puellum visitis
Et bellulum & venustulum?

ODE MONOCOLOS AD virginem MARIAM.

On te dixero virginem,
n (Blasphemus neq; sentiar)
Non te dixero nobilem,

Nec quicq̃ tibi detraho,
Sed matrem, nec ita magis
Nec dulcem aufero filium,
Cui nec virginitas parem,
Quæ nusquam vsta libidine es,
Cui nec nobilitas parem
Quæ patrem referas deum,
Cui nec dat soboles parem
Quæ partum generas tuum
Humano sine semine,
Virgo semper, & integra.
Non te rite vocauero,
Ni quo prædita nomine es,
Quo te non alio quidem
Insignit titulo angelus.
Dum te missus ab æthere
Præscripto alloquitur dei.
O nomen Mariæ omnibus
Certe laudibus altius,
O quàm leniter auribus
Seruit, quàm placide sonat.
Ecquæ digna satis dei
Te præter genitrix erat?
Quam primi sceleris nota
Haud quaquam macularit.
In qua simplicitas capax
Cuiusuis sapientiæ.
In qua tantum humilis pudor

Vel solus, potuit deum
E cælo trahere in solum.
Dum te claudere molior
Tam pressi spatio pedis,
Rem tantam male prouidus
Culpa detero carminis,
Quæ non Mæonijs satis
Extolli numeris potes.
Quam digne canere innium est,
Sed quam non canere, impium.

PEAN IN NATALEM GLO-riosissimæ virginis Mariæ.

Amnius eximios generose virginis artus
Finxerat, & mira doctus cōpegerat arte
Pādorā dixere dei, quā fraudibus Her-
Eloquio Pallas, Venus insignierat ore. [mes,
Tunc ferus (excandebat enim quòd forte Pro=
metheus
Terrenam supero vegetauerat igne figuram)
In genus humanum cunctas armauerat iras
Iuppiter, vnius furto commotus, & ausu,
Vlturúsque nephas, Pandoram emisit ab alto,
Omneis quæ secum clausas in pyxide pestes
Ferret ad Iapetum, qui tectæ nescius artis
Cistam aperit: tum qui latitabāt, agmine facto
Erumpunt morbi, visis perterritus amens,

Opposuit serum tegmen, spes quippe remansit
Sola, potens contra tantos medicina dolores,
Scilicet exilijt tandem, fundóq; soluta
Sæpius humanis spes implorata querellis,
Surrexit: Mariam dico, quæ gaudia terris
Multa daret, votisq; hominū succurreret olim
Æternā referens pacē, quam prisca sonarunt
Auguria, & tanti venturam aliquãdo doloris
Expulsatricem Cumanæ oracula vatis,
Et tripodes Phœbi, & galli aduertere Cybelles,
Chaoniæ passim Mariam edixere columbæ.
Qua nascente omnis conuexi machina cæli
Intumuit: dominámq; suo excepturus honore
Phœbus anhelanteis maiori luce iugales
Compulit ex alto testari gaudia cælo,
Officio Ops perfuncta suo, tantámq; decenter
Exceptura nurum gremio laxauit abunde
Intus quicquid erat, nec erat tū rusticus agris
Qui meteret fruges, qui tantis conderet vuis
Dolia, qui grauida pendenteis arbore fructus
Carperet, aut tectis fœtas admitteret, ipsæ
Mella dabāt quercus, quæ nunq̄ profuit, arbos
Parturijt fructus: quæ nunq̄ sensit aratrum,
Prebuit innumeras tellus impectita fruges.
Partum Anna monstrante suum pax alma per omnes,
Surrexit populos, cessit discordia, cessit
Inuidiæ execranda lues, velut æquora late

Tuta silent, si vicino sub littore nidum
Alcyones struxere suum, prolicꝫ laborent.
Tunc flatus, tunc ira maris sopita quiescit,
Haud aliter totus Maria nascente quieuit
Orbis, & insani cesserunt incommoda martis.
Quis queat eloquio tantū cōprehēdere numē
Vos vates, vatúmqꝫ deos celeberrima testor
Numina, quis vester talem meditantibus ordo
Materiam foret? hic totius victa fatiscit
Ingenij virtus, tam vastum littus arandum est
Ecquid enī huic ęquale datur? nullū ecce poetæ
Commentis potuere suis effingere numen,
Cui diuisa alijs, vni coniuncta subessent
Omnia, cui tot se meritæ explicuere deorum
Munera, cui soli arcanarum credita rerum,
Verborúmqꝫ fides, quam alti regnator olympi
Fecerit astrorum, terræqꝫ, marisqꝫ potentem.
Fare age, virgo precor, nec dedignare rogātē,
Quis tibi tūc vultus, quū nūtius æthere ab alto
Rettulit humana Christum voluisse figura
Sese vtero vestire tuo, fieriqꝫ puellus
Cuius erat genitor? certe hæc responsa dedisti.
Sed quæ virgineum, sed quæ trāsgressa virilem
Excessere animū, nō hic sine munere diuūm
Sensus erat verbis sic respondisse quietis,
Ecce ancilla dei, mihi iussa capescere fas est
Quódqꝫ iubes, renuisse nefas. hac vtere Iesu
Hospite, nec iussis audax parere recuso.

Proh quanta in verbis alti reuerentia cæli
Non aliter generis lapsi sarcire ruinas
Fas fuit, his clausus verbis descensus auerni,
In cælos munita via est, longúmq; negatam
Humano generi retulisti in secula pacem.
Nos tua simplicitas, tua nos constantia morti
Eripuit, vitáq; dedit meliore fruisci.
Ecce tuum virgo vita redimitus honora
Natalem celebro, teneóq; altaria supplex.
Tu natum veniam scelerum deposce meorum.

METENNOEA AD ANIMAM.

Syche misella, languida,
P Ignaua, segnis, marcida,
Torpens, iners, hebes, pigra,
Vel si quid his inertius:
Sed quæ inquies semper tamen
Torquente conscientia,
Nunq̃ tibi consentiens.
Cui sit negotio otium
Molestius, cui nec quies
Vlla est quiescenti, obruta
Curis, sed his incurijs
Nihilq; te dignis, modo
Quid pigritatis perdita?
Cur non veternum discutis?
Quid non iuuentutem nouas

Serpentis instar squammei.
Hem, tempus acceptabile,
Hem, nunc salutis sunt dies,
Quid stulta differs tandiu?
Procrastinarisque, inscia
Quid nam futura lux feret?
Quid pœnitentiæ tibi,
Ne certa momenti quidem,
Promittis ampla tempora?
Velut securim nescias
Hærere iam radicibus?
Quid cæcutis? quid desipis
Insana? quò te is perditum?
Quid pergis in mortem, & sciens
Vidénsq; quo pessum daris?
Deflecte habenas, comprime
Gressus, facesse de via,
Qua deferere ad inferos:
Illámq; carpe, quæ breui
Te reddiṫura sit polo.
Hæc stricta certe, & altera
Lata est: caue tamen, caue
Insistere hoc limen, procul
Stulta ò procul fer hinc pedem.
Minore iam negotio,
Illud tenere si lubet
Iter potes, cur non libet
Quod tam licet, quod tam potes?

Cur displicent innoxia
Et perplacent contraria
Menti, simúlque corpori?
Dum me iuuentus credulum,
Promptum, procacem, cereum
In quemlibet flecti modum
Fouit, secutus sum magis
Quod suaue, quàm quod vtile.
Necnon tuis obtemperans
Votis fui, iam me virum
Instans senectus admonet,
Ne nunc tibi consentiam,
Imò vt premam, cogam, vrgeam
Te, vel renitentem: neque his
Sinam teneri erroribus,
Aliam ista vitam adfert dies,
Alióque mores postulat.
Euolue tecum sedulo,
Vnde hunc in orbem veneris,
Quò sis itura denique,
Non te mouent Ixionis
Orbes? nihilne Sisyphi
Saxum? nihilne Belidum
Cadi? putásne hæc somnia
Vana, aut aniles fabulas?
Ride, puta, quicquid voles.
Crudeliora istis tamen
Longe parari credito

Tormenta, qui vel inuidi,
Qui vel superbi, desides,
Iræ, gulæ, libidini,
Et rebus addicti suis,
Deum, & deinde proximum
Læsere. contrà, te nihil
Hortantur, vrgent, excitant.
Quæ pollicetur, quæ suis
Dudum parauit, & dabit,
Fidelis & potens deus:
Quæ lingua fari nesciat,
Nec intueri pupula,
Humana nec mens assequi.
Habes paratum pharmacum,
Habes medellam propriam,
Totis IESVM viribus
Exosculare, amplectere,
Precare: qui petentibus
Nihil negaturum antea
Sese spoponderit, fuge
In huius amplexus, viden'
Vt tendat alta de cruce
Pendens manus, & brachia,
Et osculaturo caput
Inclinet. Huc huc respice,
Pectúsq; flecte saxeum,
Quò cæca nunc prolaberis?
Quò te trahit vesania?

Si non mouent te munera,
Tam certa, tam perennia:
Tormenta saltem terreant
Tam sæua, tam crudelia.
Non diffiteris, præmia
Bonos manere, & noxios
Flagella, quæ non desinent,
Nullúmq; finem sentient,
Æterna, certa, ingentia.
O summa iustorum quies,
Felicitas, tranquillitas.
O summa rursus sontium
Turbatio, vexatio?
Hæc cogita mens, cogita,
Ad te redi, expergiscere
Tandem, vidéq; ac prouide
Æterna: ne pro terreis
Inepta commutes, Deum
Boni maliq; iudicem
Spera: arte qui non luditur,
Latere quem certe nihil
Potest, vel abstrusissimum.

Εξομολόγησις.

Vt sospitator aduola

Mentiq; nostræ pharmacum,
Utrisq; certe langueo
Grauissimè, corpus quidem
Agit animam, excludit foras,
Illiq; se hospitem negat
Tam fœtidæ, tam turpium
Notis inustæ criminum.
Contrà, euolare spiritus,
Fœdúmq; corpus linquere
Molitur, & fugam parat,
Eóq;, non secus quidem,
Quàm fœtido de carcere
Exire gestit: sed preme hanc
Discordiam, intercedito
Huic iurgio arbiter potens,
Compone pacem. corporis
Crudum quidem vides adhuc
Robur, animæ verò ipsius,
Scis, quæ sit immaturitas.
Vtrunq; pullulet, sinas:
Illud futuris viribus:
Hæc, quas feres, virtutibus.
Audi fatentem me deus,
Exaudi & orantem simul,
Nunc cuncta prodam crimina,
Quorum reum me sentiam.
Si noxia est superbia,
Sum maximè culpabilis,

Qui me fuisse iudicem,
Et indicem nunc ò deus,
Deus meus coram tua
Clementia superbum, ita
Vt nullus vsquam superbior,
Sermone,& actionibus,
Omnes quidem præ me nihil
Duxi,nihil quod gesserit
Vnquam alius,exactum ratus.
Quæ fecerim,vt diuinitus
Gesta, hæc placebant omnia,
Crepitus,quod aiunt,vt meus
Mihi redoleret suauiter,
Vt me esse sæpius hominem
Non meminerim.nec meminerim:
Huiusce,si quid est boni
In me,datorem te,tibi
Nec stultus acceptum hoc tuli.
Si noxia iracundia est,
Non sum minus damnabilis,
Qui me tulisse singula
Aduersa quàm grauissimè
Sciam,leui qui percitus
Offensione,excandui,
Fœta minus placabilis
Tigride,frequens iniuriam

Virtus, mihi notum est adhuc.
Si quis mihi dedit malum,
Simul malum accepit, modo
Id potuerim reponere.
Menti fuisset si manus
Par, non Atridi cederem.
Si noxia est Venus, Venus
Mari orta, vates vt canunt,
Non vnda totius maris,
Quem patior, ignem extingueret,
Quem non furorem traxerim
Videndo? quæ me deniq;
Libido non perederit
Cogitando? quid dicam amplius?
Nullo pudicum me die
Fuisse penè suspicor.
Si noxia est, vt est, gula,
Heu quàm, deus, sum noxius.
Qui me quidem sic gesserim,
Eóq; luxu perditus
Defluxerim, mihi vt deus
Venter esset, idémq; vnicus:
Qui nec famem vnquam, nec sitim
Ieiunio obsonauerim,
Vixisse visus vt ederem,
Edisse, non vt viuerem.
Si noxia inuidentia est,
Quàm me esse sentio reum,

Qui nullius non ædepol
Felicitati inuiderim?
Qui nullius non plurimum
Lætatus ipse sim malis,
Cui non miser detraxerim,
Si quid ageret feliciter?
Cui non ferox illuserim,
Si quid secus committeret?
Sed neq; volens pares, neq;
Me superiores pertuli.
Si noxia est ignauia,
Et ipse sum potissimum
Affinis huius noxiæ:
Qui negligens semper fui,
Nihil aliud, quàm stertui,
Et actionibus meis,
Si quicquàm agendum erat boni,
Laconibus cunctatior
Causas morandi nexui,
Semper erat in via leo.
Si noxia est odium, odium
Exercui, vt qui plurimum,
Cum plurimis, certè omnibus
Mihi quibus cum res fuit,
Vicisse me longissime
In hoc leopardalim reor.

Scelerūmq; radix omnium
Dicenda auaritia venit,
Nec id profectò amolior
A me scelus, sed deprecor,
Qui cuncta ambiuerim,
Quæ viderim, procaciter:
Nec id secus, quàm hians larus,
At quæ habuerim, horum copiam
Nulli tenax effecerim,
Posita nec vlla pars meis,
Quem nulla, vel grauissima
Cuiusquam egestas fregerit.
Has propter omneis noxias,
Quas animus, vt nosti probè,
Non spontè commisit sua,
In hoc tamen nequissimum
Me agnosco, téq; æquissimum:
Has propter inquam noxias,
Non Hercules sum nescius,
Debere pœnas me graueis,
Clementiæ si non tuæ
Iustitia cesserit tua.
Habes fatentem me reum,
Habes fatentem & libere:
Nec negare, si queam, velim,
Nec si velim, certè queam.
Atqui vides, & omnia
Agnoscis, ignosce ô deus:

Nec me, precor, dulcissime,
Pro mole tanta criminum,
Agas, reúmve pertrahas
Tribunal illud ad tuum,
In quo patescunt omnia,
Aperta, nuda testium
Nihil fide indigentia.
In quo patroni non potest
Ars, nec rei defensio
Efficere fucum iudici.

FINIS.

W